



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Margarita Vidua. 28. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

pius calumniis appetitus, exilio mulctatus, vinculis oneratus, unis tamē beneficiis semper certavit. Certè calumniatorem lapidibus obruendum servavit, civicamque ex hoste meruit. Rex ipse Theodoricus cum reum ad tribunal vocasset, ubi ad instar Angeli splendentem intuitus est, habere exinde patronum suum apud DEVM maluit. Ejus dona (uti & vasa sacra vestesque) omnia in captivorum subsidia dilapidavit, veros Ecclesiæ thesauros animos esse reputans. Abiit tandem mortuus è vivis, cum prius ipse mortuum ad vivos reduxisset. *Ex Lippeloo.*

*Demonum tibus est carmina Poëtarum, secularis sapientia, Rhetoricorum pompa verborum. Hæc sua omnes suavitate delectant, & dum aures versibus dulci moderatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt.* S. Hieron. in parab. fil. prod.

S. MARGARITA VIDUA. 28. Augusti.

**N**obilem hanc MARGARITAM fortuna ad gregis, quem paupereula pascebat, pedes abjecit. Et tamen splendor illius ex ipso cælo Christum accivit, ut pauperem & ipse indutus stipem peteret. Nec abnuit illa, sed panem, quem unicum habebat, illi tradidit non parvo lucello. Nam continuò Christus ex oculis abiens suavissimo odore MARGARITAM perfudit. Hoc interim probè pascita cum domum deinde venisset, & mater negaret in penu panem esse, protulit tamen inde MARGARITA talem, qui candore & sapore cælum loqueretur, famemque non familiæ modò, sed totius viciniae unicus placaret. A morte mariti (nam nubere coegerant parentes) tota in pietatis studia abiit.

abiiit. Lectum sarmenta sternebant, cervicem lapidis fulciebat molle semper castitati pulvinar. Caput omniaque in mensam panis, cella fons fuit. Calcei nulli, vestis ei unica, præter cilicinam, quam pectus ita astringebat, ut sanguis expressus in saniem abiret; sed hac illa formosissima Superis videbatur. Interea primo mane sacris aderat, reliquum diem visendis agris, & roganda, quam pauper in pauperes erogaret, stipe non male comburebat. Mortis diem à cælo edocta cum à matre filia mnemosynon expeteret, calceos suos illa promisit. Et nimirum, agebat hæc, illos, quos nullos habes? imò, illa, quos mors donabit. Et ecce dum defunctam intruetur filia, videt tenuissimis membranis calceatam. Detracta ea spolia salutem morbidis plurimis tulerunt. Et quid jam dubitas virtus ad cælum etiam per medias spinas currere, quando contra has te cælum calceabit? *Ex Ferrar.*

*Quàm præclara possessio sit humilitatis, si norunt, qui jugum illius ferre non erubescunt. Nudus & sine calceis ingredi potius elige, quàm humilitate spoliari: nam humilitatis studiosos Deus ipse protegit atque defendit. S. Ephrem de vit. spirit.*

S. AUGUSTINUS E.P. 28. Augusti.

**A**UGUSTINUS ubi manus Deo & D. Ambrosio dedit, in Africam redux & sacerdos primum, mox Pontifex Hipponensis factus, patrem se Catholicis omnibus, hostem hæreticis acerrimum exhibuit, quorum manus divino præsidio sæpius evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit, illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducebant sese; quique non Deo loqui in templo, sed homini-

homini-